



**Bellum Sacrum Ecclesiæ Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de
Leodii, 1685**

§. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

tota Germania , tota Gallia , tota
Polonia , imò totus Orbis Christianus ,
ob tantas tamque recentes victorias
cum gratiarum actione Caticum Moy-
sis concinat. Cantemus Domino , glo-
riosè enim magnificatus est , equum &
ascensorem projicit in mare . *Exod. 15.*

§. II.

EIa Sanctissima Trinitas ! tribus
virtutis tuæ lanceis , tuâ inquam
potentiâ , sapientiâ , & gratiâ , trium
hostium tuorum , pariter ac Prophetar-
um , & Apostolorum , ac totius Ec-
clesiæ tuæ militantis ; videlicet Sar-
acenorum , Hæreticorum , & Schisma-
ticorum mentes , cordaque feri & sau-
cia ; ut omnes fese tibi Deo uni trino
subdant , te cognoscant , adorent , cre-
dant , ament & glorificant : psallentes
nobiscum in unum , Gloria Patri &
Filio , & Spiritui Sancto : Sicut erat
in principio & nunc & semper , & in
sæcula sæculorum , Amen . Tunc tuæ
Divinæ Majestati & clementiæ , verè
& exultanter omnium gentium jubilis
illud regii Vatis oraculum jubilabimus .

B 3

Omnis gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis, psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite: quoniam Rex omnis terra & Deus, psallite sapienter. Jubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite Nomini ejus. Date gloriam laudi ejus. Afferete Domino patriæ gentium, afferete Domino gloriam & honorem, afferete Domino gloriam Nomini ejus.

Quæ autem est gloria hominis-Dei & Salvatoris omnium IESU-CHRISTI nonne salus populi? hic unus est finis Sacri Belli, hæc suprema lex mundi. Ideò hoc titulo Salvatoris mundi, maximè gloriatur, qui se non solùm pro nostris, sed etiam pro totius mundi peccatis obtulit in sacrificium propitiationis. Propterea dicit Scriptura: Omnis qui credit in illum non confundetur. Non enim est distinctio Judæi & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum; omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo au-

tem audient sine Prædicante : quomodo verò prædicabunt nisi mittantur ? Sicut scriptum est, quām speciosi pedes Evangelizantium pacem , Evangelizantium bona. Cūm ergo Deus univerorum , omnes homines ad imaginem suam ex uno & unā formaverit : velitque omnes homines salvos fieri , & Filium suum miserit in mundum , non ut judicet mundum , sed ut salvetur mundus per ipsum : manifestum est , non posse summos Ecclesiæ Principes , magis Dei gloriam promovere , & Christi JESU Nomen exaltare , quām totis viribus concurrendo ad conversionem omnium infidelium , Indorum , Mahometanorum , Saracenorum , Judæorum , Hæreticorum ; & ut uno verbo omnes comprehendendam , omnium omnino inimicorum Crucis Christi : Quorum unus est finis interitus , nisi armis infideli , armis lucis , armatis inquam precibus , fulgore gladii visibilis & luce fidei , illuminentur , & convertantur , postquam fuerint debellati & contriti , magno suo bono , & Ecclesiæ emolumento .